



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCLXXXI. ad annum MCCCXIV.

Parisiis, 1644

Epistola III. Caelestini Papae III. Ad Episcopvm Et Clervm Evgvbinvm. De
sancti Vbaldi canonizatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15974

50 CÆLESTINI PAPÆ III.

chiepiscopus in venerabilem fratrem nostrum Hugonem Dunelmensem episcopum, & quosdam alios excommunicationis sententiam promulgasset, & eorum nuntiis ad nostram præsentiam venientibus, in consistorio nostro fuisse hincinde super ea sententia & quibusdam aliis articulis plenarie disceptatu: nos cognoscentes tam in ipsum quam in alios iaculatam sententiam inconsulte prolatam fuisse, nullius causæ rationabilis munimine roboratam, eam de consilio fratrum nostrorum denuntiauimus publice non tenere, irritantes eam, ne quid auctoritatis habeant inhibentes. Ut itaque quod nos decreuimus per partes vestras publice nuntietur, per apostolica scripta vobis mandamus, ut eamdem sententiam per ecclesiæ vestras prædicetis auctoritate sedis apostolicæ irritatam: ut fidelium populus tam ipsi episcopo, quam aliis vna cum episcopo iniuste ligatis, fraternæ communionis participium securè impendat, & ab illorum nullatenus propter hoc communione recedat. Datum Laterani.

EPISTOLA III.

CÆLESTINI PAPÆ III.

AD EPISCOPVM ET CLERVVM EVGVBINVM.

De sancti Vbaldi canonizatione.

Cælestinus episcopus seruus seruorum Dei venerabili fratri B. episcopo, & dilectis filiis B. priori, clero & populo Eugubino salutem & apostolicam benedictionem.

BENEDICTVS Deus in donis suis, & sanctus in omnibus operibus suis, qui secundum multitudinem miserationum suarum illis qui natura fuerant filii iræ spiritum adoptionis, in quo clamamus Abba papa, indulget, & homines ex lutea materia constitutos in confortium angelorum & gloriam sua pietate assumit. Sicut factum est temporibus nostris de sanctæ recordationis Vbaldo pontifice vestro, qui cum pius & iustus, dum in carne viueret, haberetur, post transitum a vicinis & longe positis propter miracula, quæ per merita eius operatus est Deus, sanctus meruit æstimari. Impletum est in ipso quod Prophetæ dixit in psalmo: *Pro patribus tuis nati sunt tibi filii, constitues*

Psal. 44.

eos principes super omnem terram : memores erunt nominis tui Domine . Tu autem , frater episcope , apud sedem apostolicam constitutus , opportune & importune in humilitate qua decuit institisti , vt memoriam prædicti pontificis canonizare , & ipsum adscribere sanctorum catalogo auctoritate apostolica deberemus , consideratione habita ad religiosam vitam ipsius , & ad multa miracula , quæ per eum , postquam migravit a seculo , Omnipotens dignatus est operari . Nos vero opus istud intuentes sensum & intelligentias nostras excedere , quia potius est diuini iudicii quam humani , cum ipse solus plene nouerit qui sunt eius , suspendimus desiderium tuum aliquamdiu , vt nobis & fratribus nostris quid potius agendum esset Spiritus sancti gratia reuelaret . Tua igitur tandem pia supplicatione inducti , & multorum episcoporum , & aliorum testimoniis inclinati , non de propriis meritis , sed de misericordia Creatoris potissimum confidentes , de communione fratrum consilio acquieuimus votis vestris , & canonizantes prædictum sanctum auctoritate beatorum apostolorum Petri & Pauli , qua fungimur licet immeriti , decreuimus ut festum transitus ipsius sicut beatissimi confessoris apud vos perpetuo habeatur . Quapropter vniuersitatem vestram monemus & exhortamur in Domino , quatenus non in vacuum gratiam istam recipiatis , sed exemplo beati viri renouemini spiritu mentis vestrae , & in reuerentia Dei & prædicti sancti , & omnium aliorum , feruentiores solito existatis , & festum eius septimodecimo Kalendas Iunii hilariter annis singulis celebrare sollicite operemini , quod vestra circa diuinum cultum deuotio profecisse merito videatur , & alii de facto vestro exemplum profectus assumant , & ipse vestris motus precibus pro totius ecclesiæ statu apud omnipotentem Dominum intercedat .

Datum Laterani quarto Nonas Martii , pontificatus nostri anno primo .